Q. D. B. V.

NOVI

PRORECTORATVS

AVSPICIA

DIE VII FEBRVARII ANNO MDCCCXXIX

RITE CAPIENDA

CIVIBVS

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.



LVDOV. CASPAR. VALCKENARII

SCHOLA

DE

DIIS GRAECORVM.

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

1829

DEI GRATIA
CAROLVS FRIDERICVS

MAGNVS DVX SAXONIAE VIMARIENSIVM ATQVE ISENACENSIVM PRINCEPS LANDGRAVIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE PRINCIPALIS DIGNITATIS COMES HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII AC TAVTENBVRGI REL.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS.

In Iurisconſultorum Ordine, ad quem Prorectoratus vices redierunt, hunc magiſtratum, Patribus auctoribus, ſuscepit vir doctiſſimus,

CAROLVS GVILIELMVS WALCHIVS
I. V. Doctor et Profeſſor P. O.

qui qua fide et diligentia ante hos ſex annos academiam rexit, eadem rebus veſtris iterum proſpiciet, Commilitones. A vobis autem eamdem, quam illo tempore cives academiae ipſi praeſtiterunt, obedientiam et pietatem iure ſuo exſpectat. Hunc ſuum animum vobis ipſe aperiet oratione, quam craſtino die auſpicaturus munus in acroaterio publico habebit: ad quam audiendam convenite frequentes, et hoc primum ſtudii et amoris veſtri pignus novo Prorectori inter optima vota exhibete.

P. P. in academia Ienenſi, die VI Februarii, anno a Chr. n. MDCCCXXIX.

LVDOV. CASPAR. VALCKENARII
SCHOLA *)
DE
DIIS GRAECORVM.

Nulla gens, inquit Seneca in epiſt. 117, usquam eſt adeo extra leges mores-que proiecta, ut non aliquos deos credat: ac iure meritoque Artemidorus Oneirocrit. lib. I. c. 8 inter illa, quae apud omnes gentes ſint recepta, hoc primum ponit, θεοὺς σέβεσθαι καὶ τιμᾶν, veriſſime addens, οὐδὲν γὰρ ἔθνος ἀνθρώπων ἄθεον, ἄλλοι δὲ ἄλλως τιμῶσι θεούς h. e. nulla eſt hominum natio, quae deos non agnoſcat, ſed diverſae gentes ſuo quaeque modo deorum cultum inſtituerunt. Quod usque adeo verum eſſe videtur, ut, quicquid de gentibus atheis a veteribus aut recentioribus fuerit proditum memoriae, de moribus iſtarum gentium barbaris et feris ac vita profligata atque adeo de divini cultus neglectu intelligendum eſſe videatur. Sed atheismi ſuſpicio Graeciae certe populos numquam tetigit, quos ab antiquiſſima hominum memoria conſtat fuiſſe δεισιδαιμονεστέρους: quales ſui aevi Athenienſes Paulus dicebat apoſtolus in oratione, quam Athenis habuit, a Luca nobis conſervata in Actis XVII, 22.

---

*) Haec quidem quo anno habita ſit ab immortalis memoriae viro, non ſatis conſtat. Ex locis quibusdam libri manu ſcripti, qui penes me eſt, patet, chartis haec mandata eſſe, poſtquam egregius ille in Adoniazuſas commentarius iam prodiſſet. Ad hunc enim paſſim provocat, etiam in iudicio de auctore Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῆς, quem librum Scaligero primum ſe putat recte vindicaſſe. Quam ſententiam tametſi etiam Wolfius et alii tuebantur, ab ea tamen diſcedendum eſſe Schoellius nuper perſuaſit, *Hiſtoire de la litérature Grecque* VI. p. 333. Sed haec obiter. De ipſa ſchola, quam nunc edimus, iudicium ſit penes eruditos. Qui ſi in ea magnam illam et admirabilem eruditionem deſideraverint, quam Valckenarius in ſcriptis expromere ſolebat, ſuisque ipſum viribus in gratiam auditorum peperciſſe deprehenderint: ſobriam tamen de diis Graecorum explicandi rationem probabunt, alienam a myſticis ſomniis ſymbolicisque deliramentis, quae, dum Batavia veram et maſculam eruditionem, cum animi candore coniunctam, tenebit, non poterunt ibi amatores et praecones nanciſci. Denique de monotheismo vetuſtiſſimorum Graecorum quae vir ſummus diſſeruit, in iis nec primus nec ſolus erravit. Eadem, ut alios taceam, ſententia fuit Bellami, Britanni, cuius de libro, in noſtram quoque linguam converſo, expoſitum eſt in Ephemerid. litt. Ienenſibus a. 1816. No. 203. *E.*

Sed nunc non dicetur de deorum nominibus et epithetis, quae facile per aliquot menſes detinere poſſint ſolius Lilii Gyraldi veſtigia perſequentem, qui opus inſigne, in ſeptemdecim ſyntagmata distributum, conſcripſit de Diis gentium. Agetur hic in genere de religione et diis Graecorum; quaeque huc ſpectant, non inutilia ſcitu, ſex ſectionibus ita pertractari poterunt, ut capite primo de origine Graecae religionis, ſecundo de priſca religione Graecorum, tertio de deorum distinctis ordinibus, quarto de diis duodecim, quos μεγάλους vocabant, quinto de epithetis deorum, ſexto de hominibus in deos relatis exponatur.

I.

De origine Graecae religionis.

Antiquiſſimam Graecorum religionem, deorum duodecim nomina, ritus et cerimonias ſacras plerasque Aegyptiis ſuam debere originem, et ex Aegypto in Graeciam fuiſſe delata, et iam ante et poſt Cecropem atque antiquiſſimos Argivorum reges, Inachum, Phoroneum, Danaum, longe videtur veri ſimillimum. Satis erit hanc in rem unius Herodoti verba protuliſſe ex lib. II. c. 4: δυώδεκα θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον ſacerdotes Aegyptii πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν, βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους. Plura hanc in rem loca reperiri poſſunt apud Spencerum de legibus Hebraeorum. Quascumque autem ſacras cerimonias in Atticam primus introduxerit Cecrops, illas omnes Aegyptiis eſſe acceptas referendas, ſi quidem is fuerit Aegyptius, ea de re luculentum eſt Euſebii teſtimonium Praeparat. Evangel. lib. X, c. 9. p. 486: πρῶτος Κέκροψ λέγεται Ζῆνα κεκληκέναι τὸν θεόν, μὴ πρότερον οὕτω παρ' ἀνθρώποις ὠνομασμένον, ἔπειτα βωμὸν παρ' Ἀθηναίοις ἱδρῦσαι πρῶτος, καὶ πάλιν πρῶτος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα συστήσασθαι. Quae pene Latine convertit Iſidorus Origg. l. VIII, c. 11: Cecrops primus omnium Iovem appellavit, ſimulacra reperit, aras ſtatuit, victimas immolavit, nequaquam antea iſtiusmodi rebus in Graecia viſis. Sed utrum primus deum ſummum Ζῆνα vocaverit Cecrops, an vero Iovem primus vocaverit ὕπατον, quod Pauſanias tradidit p. 600, ad noſtrum inſtitutum parum refert. Quando vero Graeci veteres partem rituum ſacrorum religionisque a Thracibus accepiſſe dicuntur, id eodem ferme recidit. Thraces enim magnam partem origine fuerunt Aegyptii, quod ex reliquiis ipſorum linguae luculenter fuit ab hominibus eruditis ostenſum. Athenienſes

autem imprimis plurimas a Thracibus accepiſſe ſacrorum cerimonias, et aliunde conſtat, et ex iis, quae de ſacris traduntur Eleuſiniis. Feſtum Athenienſes celebrabant aeque ac Thraces βενδίδεια dictum, cuius mentionem facit Plato lib. I de Republ. p. 327 et 334. Celebrabatur illud feſtum in honorem Dianae, quam deam Thraces Bendin vocabant. Heſychius, Βένδις, inquit, ἡ Ἄρτεμις Θρᾳκιστί, παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ βενδίδεια. Flexu nominis paullum mutato, Palaephatus de Incredibilib. c. 32, καλοῦσιν, ait, τὴν Ἄρτεμιν Θρᾶκες βένδειαν, ubi erudita eſt Galei annotatio. Quod autem Grammatici propterea vocem θρησκεία, quae religionem ſignificat, de Thracum nomine cenſet eſſe derivandam, id nullo modo probari poteſt. Significat illa vox cultum ſuperſtitionemque, et ex origine murmur ſacrum. Antequam enim littera η erat recepta, ſcribebatur θρεσκός· id a verbo fluxit θρέσκω, quod formatur ſecundum leges uſitatas a θρέω, ſanctum murmur edo.

II.

De priſca Graecorum religione.

Credibile videtur, antiquiſſimos Graecos unum duntaxat deum coluiſſe, huius univerſi conditorem. Quid enim aliud a Iapheti poſteris exſpectari poterat? Si quos populi Orientales minores deos agnoverunt, deum certe ſummum unicum duntaxat ſtatuere. Sic veteres certe Perſae; et nihil de deo magnificentius dici poteſt illis, quae ex ſcriptis Zoroaſtris Magi exhibet Philo Byblius ap. Euſebium in Praeparat. Evangel. I, 10. p. 42. De gente Aegyptiorum antiquiſſima teſtis eſt Plutarchus in libro de Iſide et Oſiride To. II. p. 308, Thebaidos incolas deum coluiſſe ὃν καλοῦσιν αὐτοὶ Κνήφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον. Illum Cneph ſtatuebant eſſe huius univerſi opificem, τὸν δημιοῦργον, id quod tradit Porphyrius ap. Euſebium Praeparat. Evangel. l. III. c. 11. p. 115. Cneph autem in antiquiſſima Aegyptiorum lingua ſignificabat τὸν ἀγαθόν, bonum, beneficum, per excellentiam ſic dictum: quod erudite primus oſtendit Iac. Cocherus, Bernenſis, in diſſertatione de etymo iſtius nominis, inſerta Miſcellaneis Obſervationibus. Veteres itaque iſti Aegyptii eamdem de deo ideam habuerunt, quam habuit inter Graecos philoſophos Socrates: qui quem adorabat deum, paſſim vocare ſolebat τὸ ἀγαθόν, bonum illud eximie ſic dictum, velut ap. Platonem lib. II de Republ. p. 377.

Sed omnia bene inſtituta lapſu temporis degenerare ſolent, et in cultu religioſo facilis eſt ad ſuperſtitionem prolapſio. Certe vetus illa et ſimplex Aegyptiorum theologia poſtea temporis converſa fuit in turpiſſimam ſuperſtitionem, et dei unius idea quum paſſim eſſet in animis hominum obſcurata, ſolem, lunam et reliqua aſtra divino cultu fuere proſequuti: quod de reliquis populis, praeter Hebraeos, vere teſtatur Euſebius Praepar. Evangel. I, 6; de Graecis antiquiſſimis diſertus eſt locus Platonis in Cratylo p. 397. Et Macrobius Saturnal. lib. I. c. 23 explicans ſecundum ſuum ſyſtema Homeri locos Iliad. I, 423 ſqq. θεοὺς, inquit, dicit ſidera, ſtellas, ἀπὸ τοῦ θέειν, h. e. τρέχειν, quod ſemper in curſu ſunt. Atque inde veteres id nomen repetiiſſe cenſet etiam Simplicius in Epictet. c. 38. Eo alludit Menander in Excerptis Grotii p. 753

Ἥλιε, σὲ γὰρ δεῖ προσκυνεῖν πρῶτον θεῶν,
δι' ὃν θεωρεῖν ἐστὶ τοὺς ἄλλους θεούς.

Sed nomen θεός, ut alibi fuit monitum, probabiliter Aegyptiis originem ſuam debet. Quando autem paullo ante mentio fuit facta ſyſtematis Macrobii, ſciendum eſt, Macrobium in ea fuiſſe opinione, diverſas virtutes ſolis nomina diis dediſſe, ſive appellationes deorum omnes ad ſolem eſſe referendas. Iſtud ſyſtema veterum explicuit et copioſiſſime illuſtravit G. I. Voſſius in opere perdocto de origine et progreſſu idololatriae lib. II. c. 12.

III.

De deorum ordinibus diverſis.

Tametſi magna fuerit apud Graecos vulgo culta deorum multitudo, ſapientiores tamen inter eos unum ſemper deum agnoverunt, huius univerſi opificem et conditorem: ſed et hi plerique ſummo iſti et uni vero deo ſuos dederunt adminiſtros, quibus in gubernando harum rerum univerſo uteretur. Hi itaque inferioris ordinis dii a vetuſtiſſimis theologis et poetis in tres potiſſimum claſſes pro diverſis huius univerſi partibus fuerunt diſtributi; in caeleſtes, terreſtres et inferos. Dii caeleſtes dicebantur οὐράνιοι, οὐρανίωνες, Ὀλύμπιοι ſive etiam ἐπουράνιοι, terreſtres ἐπίγειοι et ἐπιχθόνιοι, dii autem inferi χθόνιοι, ὑποχθόνιοι et καταχθόνιοι. Haec ſingula poetarum locis ut confirmentur, neceſſe non eſt.

IV.

De diis duodecim, quos magnos vocabant.

Potentiſſimi dii caeleſtes Ὀλύμπιοι, ſive, ut paſſim ab Homero dicuntur, Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, numero erant duodecim, et hi eximie dicebantur μεγάλοι θεοί, a Romanis dii conſentes et genitales, h. e. dii geniti et naturales: quod Bentleius oſtendit ad Horatii carmen ſaeculare v. 16. Graecis erant dii magni. Quamvis enim iſtius tituli honos cum aliis etiam diis omnium ordinum communicaretur, excellentiſſimo tamen modo convenire iudicabatur diis duodecim caeleſtibus. Iovem, Iunonem, Neptunum et Minervam Virgilius vocat numina magna deum, Aen. II, 623. Etiam magna Ceres audit Georg. I, 338. 39; ut et Callimacho μεγάλη θεός. Vid. Spanhem. in Callim. p. 722. Minerva, Ἀθηνᾶ, dicitur a Demoſthene μεγάλη p. 495, et ex Actis apoſt. Lucae novimus, Epheſiorum Dianam eximie ut μεγάλην fuiſſe celebratam. Iuppiter paſſim optimus maximus audit. Sed ut duodecim deorum magnorum nomina memoriae inſigantur, vulgatiſſimum illud Ennii diſtichon proferendum eſt:

Iuno, Veſta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Graeci duodecim deorum nomina hoc ordine commemorant in ſcholiis ad Apollonium Rhod. II, 532: Εἰσὶ δὲ οἱ δώδεκα θεοὶ οὗτοι· Ζεύς, Ἥρα, Ποσείδων, Δημήτηρ, Ἑρμῆς, Ἥφαιστος, Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἑστία, Ἄρης, Ἀφροδίτη, Ἀθηνᾶ. Duodecim deorum in veterrima Graecorum hiſtoria, quam fabularem vocant, iam occurrit mentio, et alibi, et apud Apollodorum Bibl. III. p. 192 et 193, ubi ſuper Attica litigantibus Neptuno et Minerva, qui litem dirimerent Iuppiter iudices conſtituit θεοὺς τοὺς δώδεκα, et paullo poſt dicitur Neptunus, qui a Marte caedis reus agebatur, abſolutus fuiſſe δικαζόντων τῶν δώδεκα θεῶν. Ex quibus locis illuſtrari poterit ex prima ad Corinthios epiſtola c. 5, v. 5, ubi Paulus, collegium duodecim apoſtolorum reſpiciens, vocat τοὺς δώδεκα, qui tamen iſto tempore, abſentibus Iuda et Thoma, tantum eſſent decem. Atque ita, ſi τοὺς δώδεκα θεοὺς Apollodorus deorum caeleſtium ſupremum concilium intelligit, quod paſſim apud poetas commemoratur, curia iſtius ſenatus caeleſtis domus erat optimi maximi Iovis. Ovid. Metam. I, 170:

Hac iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis
Regalemque domum.

Virgilius Aeneid. lib. X ſic orditur:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divum pater atque hominum rex
Sideream in ſedem.

In iſta curia ſedentibus diis proſpectus in hunc mundum patere credebatur in Atlantico, cui operi intermortuus eſt Plato. Haec in editionibus noſtris ultima proſtant: Deus deorum Iuppiter coegit deos omnes εἰς τὴν τιμιωτάτην αὐτῶν οἴκησιν, ἣ δὴ κατὰ μέσον παντὸς τοῦ κόσμου βεβηκυῖα, καθορᾷ πάντα, ὅσα γενέσεως μετείληφε. Non Athenis tantum, ſed per totam Graeciam, ut et in Latio, praeter reliquos deos minores iſti duodecim eximia religione colebantur. In urbe Atthidis nobiliſſima, Olympiae, Hercules conſtituiſſe legitur δώδεκα θεῶν ἀγάλματα, teſte Herodoro in ſcholiis ad Pind. Olymp. V, 10. Megaris, quae urbs erat Atticae proxima, ſtatuae etiam conſpiciebantur τῶν δώδεκα θεῶν, auctore Pauſania in Atticis c. 40. Athenis autem Atticis in porticu Iovis Eleutherii, quae erat in ceramico intra murum poſito, τῷ ἔνδον, ut dicit Heſychius, dii duodecim erant depicti, eodem docente Pauſania. Vid. Io. Meurſii Ceramicus p. 13 et p. 50. In foro Athenis ara erat eisdem diis duodecim ſacrata a Piſiſtrato, teſte Thucydide VI, 54. Eiusdem arae meminerunt Herodotus, Lycurgus et Plutarchus. In Equitibus Ariſtophanis v. 235 peſſimus nebulo, Cleo, iurat per duodecim deos:

οὔ τοι, μὰ τοὺς δώδεκα θεούς, χαιρήσετον
ὁτιὴ 'πὶ τῷ δήμῳ ξυνώμνυτον πάλαι.

Quae forma loquendi, ab Herodoto etiam uſurpata lib. III, c. 29, maximi mali deſignabat minas.

V.

De epithetis deorum.

Stulta haec erat Graecae plebis perſuaſio, deos ſuos delectari πολυωνυμίᾳ, nominum vel epithetorum multitudine. A vetuſtis itaque theologis ſive poetis infinita illorum copia fuit conficta, quod facile unicuique conſtabit, qui hymnos tantum legerit, ſub nominibus Orphei et Homeri vulgatos, et certe antiquiſſimos. De nominibus et cognominibus deorum conſuli poterit Gyraldus. Hic enim, quae huc pertinent, ſatius erat praetermiſiſſe, quandoquidem multo

potiora tractanda ſuperſunt. Itaque ſufficiet in genere quaedam obſervata dediſſe.

Deorum cognomina in duas claſſes distingui debent: quam in rem egregia monuit Pauſanias lib. VII. p. 577. Sunt enim primum deorum nomina, ſub quibus pro diverſis Graeciae locis dii publice colebantur. Alterum genus ſolis poetis originem ſuam debet, a quibus ſcienter illud fuit excogitatum ad deſignandas partes, quas dii diverſiſſimas in rebus huius univerſi adminiſtrandis obire credebantur. Quae pertinent ad primam claſſem, ipſam illa ſpectabant religionem, eiusque partem conficiebant. Sed epitheta quae dicuntur poetica erant duntaxat honorificae quaedam deorum appellationes, publicitus non receptae, quasque propterea, ſi uſu veniebat, irridere Comicis licebat in ſcena. Hoc ut eo rectius intelligatur, unius Iovis ſpectemus de centenis pauca quaedam cognomina uſitatiora. Homerus, ex cuius fonte poetae ceteri ſuos hortos irrigarunt, Iovem multis ornat epithetis. Dicitur poetae νεφεληγερέτης, ἀστεροπητής, ἀστραπτής, τερπικέραυνος, ἐρίγδουπος, κελαινεφής, ὑψιβρεμέτης. Haec et horum ſimilia epitheta nihil adeo pertinebant ad publicas religiones; et ridet poetas Luciani Timon, quod iſtis ſcurrilibus Iovis cognominibus uterentur, non in honorem Iovis, ſed ad ſustentandos verſus ſuos, ne ſuis fulcris carentes collaberentur. Alia vero ſunt Iovis cognomina, quorum, licet et haec uſurpentur a poetis, longe diverſa tamen erat ratio. Colebatur Iuppiter ex. gr. in variis urbibus Graeciae velut ξένιος, qui tueri credebatur hoſpitalitatis iura, apud Graecos ſacratiſſima. Iuppiter autem ξένιος et ab aliis memoratur, et a Platone lib. V de legg. p. 729, et Virgilio Aen. I, 735.

Iuppiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur,

ubi recte Servius Graeci, inquit, τὸν ξένιον Δία appellant. Iuppiter Φράτριος, tribulis, eximie colebatur Athenis ſecundo die feſti Apaturiorum. Suidas voc. ἀπατούρια ſecundo, inquit, die ἔθυον Διῒ Φρατρίῳ καὶ Ἀθηνᾷ, tribules nempe, qui hoc feſto die una epulari et hilares agere ſueverant. Iuppiter familiarum praeſes colebatur ſub nomine ἑστιούχου et ἐφεστίου. Qui ſodalitates inter ſe inſtituebant, Iovem venerabantur ἑταιρεῖον. Iſtae ſodalitates potiſſimum locum habebant in inſula Creta: in qua inſula etiam ἑταιρεῖος Ζεύς imprimis colebatur, uti auctor eſt Heſychius. Amicitiae praeſidem Iovem Φίλιον invocabant; qui iurabant, Iovem ὅρκιον, iurisiurandi praeſidem et periuria vindicantem. Sic filius Achillis, Pyrrhus, in Sophoclis Philoctete v. 1318

Ὅμως δε λέξω· Ζῆνα δ' ὅρκιον καλῶ.

Dicebatur idem ἐνόρκιος a Graecis, a Romanis *dius fidius*. Supplices, ἱκέται, venerabantur ἱκέσιον Iovem, cognati ὁμόγνιον. Quae paucis explicata ſunt, perſequitur ſcholiaſtes Euripidis ad Hec. v. 345 et Sophoclis ad Aiacem v. 492. Huius verba haec ſunt: οἱ μὲν συνοικοῦντες, τὸν ἐφέστιον Δία προτείνουσιν, οἱ δὲ φίλοι, φίλιον, οἱ δὲ ἐν μιᾷ τάξει καταλεγόμενοι καὶ μιᾷ συμμορίᾳ, ἑταιρεῖον, οἱ δὲ ξένοι, ξένιον, οἱ δὲ ἐν ὅρκοις συμφωνίας ποιοῦντες, ὅρκιον, οἱ δὲ δεόμενοι, ἱκέσιον, οἱ δὲ ἀδελφοὶ, ὁμόγνιον. Inſignis etiam hanc in rem locus eſt in oratione Dionis Chryſoſtomi p. 8. Sed imprimis videatur Hemſterhuſius ad Lucian. p. 99. His autem epithetis Iuppiter fuit inſignitus, quod erat pater hominum deorumque, ac prae reliquis diis rerum humanarum et imprimis humanae ſocietatis curam gerere exiſtimabatur. Prioris generis epitheta poetica pleraque omnia deſumpta ſunt ab effectis, quae in ſummo aere apparent. Auctor libelli de mundo, qui ſolet Ariſtoteli adſcribi, p. 285, quum Iovem vocaſſet πολυώνυμον, recte addit: ἀστραπαῖος τε καὶ βρονταῖος, καὶ αἴθριος, κεραύνιός τε καὶ ὑέτιος, ἀπὸ τῶν ὑετῶν καὶ κεραυνῶν. Appuleius, qui libellum iſtum magnam partem Latine vertit, fulgurator, inquit, et fulminator, et imbricitor, et ceraunator. Horum ſimiliumque cognominum cauſſa inde videtur repetenda, quod vetuſtiſſimi Graecorum theologi per Iovem nil aliud intellexerunt, quam ipſum aethera. Euripidis, in Anaxagorae phyſici ſchola eruditi, nobilis fertur ex incerto dramate ſententia:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ᾽ ἄπειρον αἰθέρα,
Τὸν γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν.

Ennius vertit:

Adſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Iovem.

Quicquid itaque de aethere dici poterat, velut Iovis cognomina conſiderarunt; ceterum quicquid de reliquis diis ab Homero ceteriſque poetis fuerat traditum, plurimi crediderunt eſſe involucra tantum, ſub quibus phyſicae laterent virtutes, atque haec univerſa ex naturalium rerum effectis exiſtimarunt explicanda, ea nonnumquam tradentes, quae ſpeciem quamdam habent veriſimilitudinis. Plurima hanc in rem ex Euſtathii in Homerum commentariis poſſent depromi, ſi haec plenius cognoſci cuperemus: ſatis erit legiſſe Heraclidis, vel Heracliti potius, allegorias Homericas, in Galei Opuſculis mythologicis vulgatas.

VI.

De hominibus in deos relatis.

De diis duodecim quando nihil adeo magni momenti proferri poteſt, quod non apud Gyraldum inveniatur, utilius videtur paullo accuratius dicere, quinam Graecis *δαίμονες* et *ἥρωες* vocati ſint, quum haec imprimis antiquitatis Graecae pars difficultatibus ſuis minime careat. Tametſi *ἥρωες* inferioris fuerint ordinis quam *δαίμονες*, de illis tamen, quoniam haec pars facilior videtur intellectu, primum dicetur, deinde inquiretur, quinam appellati fuerint *δαίμονες*.


Itaque *ἥρωες* ſive *ſemidei* proprie dicebantur ex deo et muliere mortali prognati, ſive omnino viri virtute praeſtantes. Si qui enim ſive reges ſive alii fortitudine aliisque virtutibus, praeſertim virtute beneficentiae, dum in vivis erant, inclaruerant, hi poſt obitum a civibus ſuis velut heroes colebantur, iisque arae et ſacella dedicabantur. Neque tamen his ſacra eodem modo fiebant, quo diis ſuperis, ſed ritu diverſo. Moris enim fuiſſe heroum ſacra peragentibus ſpectare in occidentem, iam ab aliis fuit obſervatum. Praeterea ſacra fiebant heroibus non in altari, quod ut a Latinis, ſic et Graecis ab altitudine vocabatur *βωμός*, ſed in craticula, quae terrae effoſſae imponebatur, eodem nomine dicta, quo dicebatur craticula in ſummo altari, cui victimae partes diis ſuperis cremandae imponebantur. Ad altare deorum ſuperorum per gradus adſcendebant; ſed ara heroum, *ἐσχάρα*, ſolo erat aequalis. Hoc ſenſu capiendus eſt Heſychius de heroum ara, ubi *ἐσχάρα*, inquit, *βωμὸς ἰσόπεδος, οὐκ ἐκ λίθου ὑψούμενος·* quam ſcripturam recte tuetur Abreſchius in Miſcell. Obſervatt. VII, 2. p. 297. Neanthes Cyzicenus ap. Ammonium p. 34: *βωμοὺς θεῶν φησίν, ἐσχάρας δ' ἡρώων·* quod vulgo minus recte intelligitur. Tandem quum deorum ſuperorum templa *ἱερὰ* vocarentur et *ναοί*, ſacella heroum *ἡρῷα* dici ſolebant et *σηκοί*, propterea, ut probabile eſt, quod antiquitus deorum ſtatuae ſub dio ſepimento quodam conſecrabantur. De ſacello herois et heroinae proprio uſu vocem adhibuit Euripides in Ione v. 300 et in Bacchabus v. 11. Videtur eadem Porphyrio reſtituenda in libello de antro Nympharum: *τοῖς μὲν Ὀλυμπίοις θεοῖς ναούς τε καὶ ἕδη καὶ βωμοὺς ἱδρύσαντο, χθονίοις δὲ καὶ ἥρωσι σηκοὺς καὶ ἐσχάρας, ὑποχθονίοις δὲ βόθρους καὶ μέγαρα.* Vocabuli *ἥρωσι* ultima ſyllaba effecit, ut vox *σηκοὺς* e contextu exciderit. Comparari poterit Iac. Perizonius ad Aelian. To. I. p. 416. In iſto Porphyrii loco inter deos ſuperos et inferos medii ter-

reſtribus adiunguntur ἥρωες. In univerſum a diis ſuperis magna erant intercapedine ſeiuncti hi inferioris ordinis dii, ab hominibus in caelum relati. Singulis civitatibus in Graecia licebat praeſtanti virtute viros, poſt obitum ſolemni ritu conſecratos, heroum ordinibus inſcribere; neque vero licebat eosdem diis adiungere ſuperis. Philippus tamen, rex Macedoniae, iſto honore non contentus, duodecim diis ſuperis accedere tertius decimus deſiderabat, ſi vera nobis narrat Diodorus Sic. lib. XVI. p. 506. Quam patris veſaniam imitatus Alexander ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν αὐτὸν ψηφίσασθαι, h. e. per litteras perſuaſit Graecis, ut publico decreto ſe deum declararent, teſte Aeliano V. H. lib. II, c. 19. Ex cuius libro V cap. 52 diſcimus, Athenienſes Demadem oratorem centum talentis multaſſe, ὅτι θνητὸν ὄντα τὸν Ἀλέξανδρον ἐνέγραψε τοῖς Ὀλυμπίοις: in quem Aeliani locum legi poterunt quae annotavit Iac. Perizonius. Heroes quinam fuerint antiquitus habiti, Cornutus nos docet (ſic enim auctor vocandus eſt, non Phurnutus) de natura deorum c. 31. p. 221: Ἥρωας, ait, ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τοὺς ἀνδρείους τῷ σώματι καὶ ταῖς ψυχαῖς, καὶ κατὰ τοῦτο τοῦ θείου γένους μετέχειν δοκοῦντες. Variorum de heroibus ſententias ex perditis in Homerum vetuſtis commentariis luculenter exponit Euſtathius ad Hom. Il. α, p. 13, ubi veteres heroas, inquit, vocabant γένος τι θεῖον, μέσον θεῶν καὶ ἀνθρώπων, quos Heſiodus vocat ἡμιθέους, ſemideos (reſpicit Heſiodi Opp. et Dies v. 160). Erant autem vel ex matre dea et patre mortali nati, qualis Achilles, Pelei et Thetidis, deae marinae, filius, vel, vice converſa, quales fuere Hercules, Caſtor et Pollux ſimilesque, et qualem Lycophro canit Hectora fuiſſe. Alii veterum heroas vocant homines mortales, quos ob virtutum praeſtantiam ſemideos eſſe cenſuerunt. Homerus tametſi quosvis homines ſtrenuos et bellica virtute praeſtantes ἥρωας vocare paſſim conſueverat, uno tamen in loco memorat ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν, Iliad. μ, 23, ubi Euſtathius p. 844 ſemideorum illud genus interpretatur ἥρωας, quibus, inquit, nomen illud honorificum ob virtutem fuit tributum, ſicut et aliis accidit, ut in deos referrentur διὰ σοφίαν, ἢ εὕρεσιν χρησίμου τινος, ἢ ἄλλο τι ἀγαθόν. Maximus Tyrius Diſſertat. 28 Ἕλληνες, inquit, θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς, καὶ τιμῶνται μὲν αὐτῶν αἱ ἀρεταί, ἀμνημονοῦνται δὲ αἱ συμφοραί. Heroas eſſe animas defunctorum hominum, qui vitam optime et virtutibus clari transegerunt, docet Plutarchus ſive Auctor de placitis philoſoph. lib. I, c. 8. τοὺς δ' ἥρωας ψυχὰς κεχωρισμένας τῶν σωμάτων τὰς μὲν ἀγαθὰς τῶν τὸν βίον διαγόντων ἄριστα ἀνθρώπων. In eamdem ſententiam loquitur Dio Chryſoſtomus Orat. III. p. 45. Tales autem heroes per Graeciam

longe plurimi colebantur, ita tamen, ut ſingulae gentes, ſingulae civitates ſuos habuerint, quos heroico cultu dignarentur, ſive reges, ſeu alios, qui vel fortitudine, vel ſapientia, vel quibuscumque tandem virtutibus hoc honoris faſtigium poſt obitum videbantur meriti. Vt autem hac in parte conſtet, quam vere Paulus apoſtolus in Actis Lucae Athenienſes dixerit δεισιδαιμονεστέρους, quot praeter deos illi coluerint heroas, utile erit paucis commemorare. Athenis in tholo prope curiam quinquaginta ſtatuae conſpiciebantur quinquaginta heroum, quos ἐπωνύμους vocabant, a quibus Athenienſium tribus nomina ſua acceperant, Hippothoontis, Antiochi, Aiacis Telamonii, Leonis, Erechthei, Aegei, Oenei, Acamantis, Cecropis et Pandionis: quod novimus ex Pauſania lib. I. p. 12 ſqq. Heroas propter defectum monumentorum minus cognitos Meurſius recenſuit in Athenis Atticis lib. III. c. 1 et 2. Regum ſuorum nonnullos tamquam heroas coluiſſe Athenienſes exploratum eſt. Erichthonius, Amphictyonis in regno ſucceſſor, propterea quod primus invenit quadrigarum uſum, inter ſidera fuit relatus. Qua de re legi poſſunt Eratoſthenes in Cataſterismis c. 13, Hyginus Aſtronom. l. II. c. 13 et Apollodorus Bibl. lib. III. p. 196. Rerum geſtarum gloria clariſſimum regem, Theſeum, quem vivum contumelioſe tractaverant Athenienſes et teſſerularum ſuffragiis eiecerant Athenis, ut fuerant ab antiquiſſimis temporibus mutabiles et inconſtantes, poſt obitum venerati ſunt ut heroa, quin divis honoribus affecere. Nam praeter ἡρῷον, ſacellum, cuius mentio fit apud Pauſaniam, Theſeo templum quoque conſtituerunt, Theſeum dictum. Heſychius: Θησεῖον, νεὸς Θήσεως, ἐφ' ὃν οἱ ἀποδιδράσκοντες κατέφυγον, h. e. in quod templum velut in aſylum fugitivi ſervi ſe recipiebant. Feſtorum dierum, in memoriam Theſei inſtitutorum, Ariſtophanes meminit in Pluto v. 627. Pariter Aegei, qui Pandioni ſucceſſit, ἡρῷον memoratur ab Harpocratione voc. Αἰγεῖον. Vltimus regum Athenienſium fuit Codrus, cui, quia mortem pro patria volens obierat, mortuo tribuerunt heroicos honores. Polyaenus Strategem. lib. I, c. 18 Κόδρῳ, inquit, τιμὰς ἀνεστήσαντο τῶν ἡρώων, ὅτι περ τοὺς πολεμίους ἑκουσίῳ θανάτῳ κατεστρατήγησεν. Ex Atticis heroibus ceterarum Graeciae civitatum heroes aeſtimari poterunt, quorum longus poſſet ex uno Pauſania contexi catalogus, niſi ea, quae dicta ſunt, ad hanc partem intelligendam ſufficere viderentur. Itaque, his miſſis, videamus potius, quosnam Graeci per δαίμονας intellexerint.

Apud Helleniſtas quidem, h. e. Iudaeos Graece loquentes, in ſcriptis noſtris ſacris δαίμονες et δαιμόνια mali genii appellantur. Hac vero poteſtate vox

δαίμων apud ſcriptores veteres Graecos, qui illis N. T. ſcriptoribus ſunt antiquiores, ſimpliciter poſita nusquam reperietur, ſecus ac credidit Iac. Elsnerus in Obſervatt. ad Matth. IX, 34. Eſt tamen apud veteres multiplex et ſaepe incerta vocabuli ſignificatio. Nam δαίμονες dicuntur vel ipſi dii ſuperi, vel dii inferioris ordinis; ſaepe etiam δαίμων genium notat bonum, quales hominum ſingulorum in hac vita cuſtodes eſſe arbitrabantur; ſaepe ſortem, quae hominibus in hac vita obtingit. In Platonis ſcriptis δαίμονες inferiores ſunt dii, medii inter θεοὺς et ἥρωας, velut in libro IV de Legg. p. 717, μετὰ θεοὺς, inquit, καὶ τοῖς δαίμοσιν ὅγ' ἔμφρων ὀργιάζοιτ' ἄν, ἥρωσι δὲ μετὰ τούτους. In Convivio Platonis To. III. p. 202 Diotima, mulier philoſopha, τὸ δαιμόνιον dicit eſſe μεταξὺ θεοῦ τε καὶ θνητοῦ, ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, h. e. medium quoddam genus inter deum et hominem, quod interpretis et internuncii vice fungatur, resque divinas ad homines referat, humanas ad deos. In Socratis ſchola eruditus Plato deum ſummum unicum ſtatuebat, infinitum et aeternum, huiusque univerſi opificem: quem in Politico, hauſto ex Pythagorae fonte, p. 272 vocat τὸν τοῦ παντὸς κυβερνήτην, καὶ τὸν μέγιστον δαίμονα. Hunc ſummum deum ſive Socrates ſeu Plato (nam ſanctam Socratis philoſophiam, mores potiſſimum ſpectantem, Plato ſuis additamentis contaminavit, ex Xenophontis Socraticis hauriendam) ſtatuebat in hoc rerum univerſo gubernando diis uti inferioris ordinis, qui illic a Platone dicuntur οἱ συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοί. His ſuccedebant δαίμονες, genii: tertium tandem ordinem conſtituebant ἥρωες. Apud Heſiodum boni genii δαίμονες vocantur: qua de re praeter Heinſium plura Graevius egregia notavit in Lectt. Heſiodeis cap. 4. Denique quum δαίμων etiam ſortem ſignificaret, quae hominibus in hac vita obtingit, haec vis ſignificandi imprimis obtinet in compoſitis: quod luculenter oſtendit Iac. Duportus in Lectt. in Theophraſtum p. 452, qui ibidem agit de huius nominis et de nominis ἥρως origine. Sed utriusque vocis origo antiquitatis caligine iacet involuta.


3 0112 105477407